

Johann Cothmann

**Programma in funeris processione ... Puellulae Margaretae Elibabethae Clingiae,
... Viri Dn. Bernardi Clingii, Senatoris huius Reipubl. ... filiolae. publice
propositum**

Rostochi[i]: Pedanus, 1627

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747404747>


Druck Freier  Zugang



Cothman, J.,
in M. E. Clinge.

R. 1627.

13



PROGRAMMA
in funeris processione

Elegantissimæ ac suavissimæ PUELLULÆ

MARGARETÆ
ELIBETHÆ CLINGIÆ,

Amplissimi ac Prudentissimi VIRI,

DN. BERNHARDI CLINGII,
Senatoris hujus Reipubl. specta-
tissimi, optimæque meriti
filiolæ.

publicè propositum.




ROSTOCHI

Literis Joachimi Pedani, Acad. Typ.

Anno M DC XXVII.

13


RECTOR
ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS
JOHANNES COTHMAN
S. S. Theologiæ Licentiatus &
Professor.



Uanta humanæ vitæ sit fragilitas, miseria,
& inconstantia, tum scripturâ sacrâ, tum
experientiâ quotidianâ multarum rerum
magistra, docemur. Scriptura certè vi-
tam hominis spumâ, eelerrimè ac opinio-
ne citius in aquarum superficie disparenti:
umbra evanescenti: cursori velocissimè aufugienti: ima-
gini transcanti: peregrino uno in loco non consistenti:
inquinato alienas ædes inhabitanti: vapori exiguo tem-
pore apparenti: fumo & vento pervolitanti: nebula
colliquefcenti, comparans, quæ vitæ nostræ sit conditio,
minimè dissimulat. Hinc cum Ecclesiastico affirmare
non erubescimus: occupatio magna homini cuiq; creata
est, & jugum grave filijs Adami impositum, ex quo die
egressi sunt ex utero matris suæ, ad diem usq; quo ad ma-
trem revertuntur, cogitationibus eorum & timori cor-
dis, sollicita expectatio, nempe dies mortis impositus
est. Æque sedenti in throno gloriæ, atq; humiliter ab-
jecto in terrâ & cinere. Æque ferenti hyacinthinum &
coronam, atq; amicienti linum crudum. Experientiam
si consulimus, verissimam esse deprehendimus, quæ Ba-
silio, (& partim ipsi Aristoteli Ethnico) ascribitur, sen-
ten-

tentiam quando de homine ita inquit: Homo animal illud fragile, innumeris afflictionibus subiectum, ex nativitate usq; ad senectutem, infinitam malorum multitudinem exhauriens, imbecillitatis exemplum, temporis spolium, fortunæ lusus, inconstantia imago, calamitatis trutina: reliquum verò bilis & pituita. Nec immeritò talia emblemata de hominis vitâ, pronuntiantur, cum in eâdem, præter innumeras afflictiones, tribulationes, anxietates, ægritudines, flagellationes, nihil aliud fermè inveniatur. Quæ tandè omnia mors nulli parcere nescia, tanquam ultima linea rerum excipit, ac miserandum in modum, universam hominis scenam claudit. Transactâ hunc in modû vitæ humanæ fabulâ, verissima sunt verba Chrysoptomi: proficiscamur, inquit, ad sepulcra ostende mihi patrem, ostende uxorem tuam. ubi est qui purpurâ induebatur, qui vehiculo ferebatur, qui exercitus ductitabat, qui coronâ militum cingebatur, &c. Nihil video nisi putrida ossa, & vermes, & araneam, omnia illis pulvis, omnia fabula, omnia somnium, umbra, narratio nuda, & imago. Hæ vitæ humanæ miseræ ac calamitates, nescio sane, an ullâ re magis exacerbari queant, quam dulcissimorum tori pignorum, divinâ benedictione concessorum immaturo obitu. Tobia junioris mater, filium ob impletos profectiois dies perjisse rata; nec certi quid de filij morte cognoscens; cœpit tamen lugere ipsum, inquit: eheu pœnitet me fili, quod dimiserim te, lucem oculorum meorum. Et quamvis à marito (Tobia Seniore) ne hunc in modum ejularet ferio illi præciperetur; Superavit tamen ^{509m} materna, mariti mandatum; illa enim quotidie, in viam qua discesserat abiens, querelam suam ingeminavit: perijt puer meus.

meus. Idq̄ tanta cum vehementiâ, ut interdum cibum non ceperit, & noctes integras lamentari Tobiam filium non desierit. Id si mater fecit filio, cui adversi quid obtigisse, aut morbis excruciatum & symptomatibus afflictum, aut deniq̄ in agone mortis constitutum, fata extrema tandem clausisse, ob profectiois moram solum coniciebat. Quid fecisset putabimus si indubiè, filium obiisse constitisset? numne dolore stimulante, sibimet ipsi ex mœroris magnitudine vitam decurtasset? At inquis: Novi ingenium mulierem, de quibus poëta ait: ut flerent oculos erudiere suos. Ne ergo graveris exemplum viri alicujus, & probati quidem, mecum considerare. Jacob Patriarcha filium Josephum, ab immanissimis feris dilaniatum existimans, quantis persequitur lacrymis? quibus gestibus gravissimum ac acerbissimum dolorem arguit? diceres pene sanctissimum hunc ~~etiam~~ humani aliquid passum, in defectu deliquisse, cum omnium filiorum consolationes respuerit; è contra verò vestimenta sua lacerarit, ac imposito lumbis suis cilicio filium diebus multis luxerit, hoc sine ut tandem mortuorum conditionem experiretur. Et quis parentibus, Si ob charissimorum pignorum calamitates & deniq̄ ipsam mortem (debitâ tamen moderatione) doleant, vitio verteret? Suntne imago animorum, ac simulacrum ingeniorum, portio cordis, membra corporis, sanguis de sanguine, caro de carne. Cur parentes semetipsos non diligerent, cum nemo, dicente Apostolo, propriam carnem unquam odio habuerit? cur non miseriæ ipsorum compâterentur? cur non cum ipsis simul affligerentur? & si possibile esset, vel cum propriæ salutis ac vitæ suæ dispendio miseriam ipsorum, si non tollere planè, mitigare solum-

solummodo unice anniferentur. Ex hæctenus dictis
haut obscure colligere est, quo in acerbo luctu consti-
tutus sit, vir amplissimus, spectatissimus ac literatissi-
mus, Dn. BERNHARDUS CLINGIUS, Senator
Reipub. Rostochiensis optimè meritis, ac ordinis no-
stri fautor insignis, cum dilectissimâ conjugè SOPHIA
ELISABETHA Steinbrings / fæminâ lectissimâ ma-
tronalibus virtutibus maximè imbutâ, quando filiolam
MARGARETAM ELISABETHAM, 26. Febr. Anni
1627. natam, 22. Jun. post horam 7. matutinam ejusdem
Anni denatam lugent. Quem luctum memoria sex li-
berorum, in ipso vitæ partim exordio, partim ætatis flo-
re ante hac extinctorum, trium filiorum (BARTHOL-
OMÆI, BERNHARDI, JOHAN-WILHEMI)
ac totidem filiarum (ANNÆ, MARGRETÆ, SO-
PHIÆ, ELISEBETHÆ, & AGNETÆ) vche-
menter adauget. Ne vero mœstissimi parentes nimium
fese macerandi ob septem jam distincta (alternatim a-
vocata) charissimorum pignorum funera occasionem
habeant, loco Genealogiæ sæpius in præcedentibus li-
berorum defunctorum programmatibus repetitæ, fun-
damenta consolationum luctui immoderato opponen-
da, ostendemus. vos ergo mœstissimi parentes respicite
primum benevolam Dei voluntatem, quam impleri quo-
tidie oratione dominicâ petitis. Deus est qui hæc beatulâ,
ut & præcedentes, dedit, idem ad se recepit. Hujus summè
boni, nisi optima esse potest voluntas, in qua vobis ac-
quiescendū, ac cum Jobo ingeminandum: Dominus de-
dit Dominus abstulit, sit nomen Jehovæ benedictū. Si di-
catis non tam ipsa liberorum nostrorum, & præsertim
hujus animulæ MARGARETÆ ELISABETHÆ
mors,


moſs, mœrorem nobis imprimit, quam immatura illa
& planè inexſpectata ex hac vita diſceſſio, quot annos
potuiſſent vivendo explere, ac conceſſa multa gaudia
nobis conciliare? conſiderate ergo & animum quaſo
advertite, quid B. GREGORIUS de ejuſmodi funeri-
bus dicat. Quam feliciter nati, quibus in primo na-
ſcendi limine, æterna vita obviam venit. Immaturi
quidem videntur ad mortem, ſed feliciter moriuntur
ad vitam, vix dum geſtaverunt præſentem, ſtatim tran-
ſeunt ad futuram. Non dum ingreſſi infantia cunas,
& jam perveniunt ad coronas. Rapiuntur quidem à
complexibus matrum, ſed redduntur gremio angelo-
rum. Deinde ſeculi moderni attendite pravitàtem, &
quod proh dolor (Deus propitiuſ omne malum à nobis
clementer arceat) metuendum, inſtantem perpendite
calamitàtem. Apoſtoluſ ſua tempora mala nuncupat:
quid feciſſet putamus, ſi modernorum temporum mo-
res conſpexiſſet, anne malos appellaiſſet? imò ſuis pe-
jores, & peſſimos pronuntiaſſet. Facile igitur contin-
gere potuiſſet, ut quæ ex filiis ac filiabus veſtris futura
ſperabatis gaudia, illa temporum infeliciffimorum in-
juria, in mœrorem & lacrumas fuiſſent converſa. Ser-
vator noſter talia tempora, qualia nobis metuenda, con-
ſiderans, homines ita loquentes introducit: beata ſte-
riles, & ventres qui non genuerunt, & ubera quæ non
lactaverunt. Item: væ prægnantibus ac lactantibus in
diebus illis. Ô ergo feliciffimi parentes, quorum liberi
hiſce malis erepti, in longè feliciorum ac tutiorum lo-
cum translati ſunt. Præcipue vero, vos mœſtiſſimi pa-
rentes, id penitius conſiderate, liberos veſtros & hanc
beatam animulam, non eſſe amiſſos ſed in æterna gau-
dia.

dia præmissos, nolite ergò pignoribus vestris charissimis
& huic beatulæ MARGARETÆ ELISABETHÆ,
felicitem qua fruuntur invidere. Optimè, scio, libe-
ris vestris cupitis. At melius ipsis velle, quam ut nunc
sunt, haut potestis. versantur enim ibi, ubi nec oculus
visu, nec auris expletur auditu, ubi est æterna sanitas, &
sana æternitas, secunda tranquillitas, tranquilla jucundi-
tas, jucunda felicitas, felix æternitas, æterna felicitas.
Cujus vitæ gaudium, nunquam decrescet, neque amor
tepescet: gemitus nullus audietur, neque dolor sentie-
tur: triste nil videbitur, læticia semper habebitur, quæ
per Dei gratiam acquiri potest, æstimari non potest. ò
ergò vita super omnes vitas beatissima! ò patria felicif-
sima! Revera enim beatitudinis cumulus erit, cum Do-
minus adducet sanctos suos in visione paternæ gloriæ,
ubi amabimus sine modo, videbimus sine termino, co-
hærebimus sine medio, nam ibi manebimus in Deo. Ta-
lia, parentes mœstissimi, cogitantes, dolorem ex se-
ptem liberorum obitu conceptum moderabimini.

Nos vero cives Academici, postquam desideratissi-
mæ huic animulæ exuvias, parentes mœstissimi hodie in
dormitorium suum inferri curabunt, officij nostri me-
mores frequenti comitatu processionem funebrem ex-
ornemus, ac quod familiæ CLINGIANÆ, tum &
mœstissimis parentibus debemus, ultro præstemus.
Non exaggerabo nunc quòd animulæ nostræ defunctæ
avus paternus, Clariss. Dn. D. BARTHOLOMÆUS
CLINGIUS, Jctus excellentissimus, Consiliarius
Megapolitanus & per annos quinquaginta Academiæ
hujus Professor Juris celeberrimus & præclarè meritus
fuerit.

fuerit. Cujus viri merita plus à nobis, quam quòd nunc fieri, quo par est studio, hortor & moneo, postulant. Agite itaq; cives Academici, horâ primâ in templo Mariano convenite, funeris processionem frequentes cohonestate, Germaniæ afflictissimæ, ut & Illustriss. ac Ampliss. patronorum, ac utriusque Reipub. incolumitatem pijs ac devotis precibus Deo commendate. Et vos ipsos aliquando viam omnis carnis ingressuros esse memento- te. P. P. Rostochij sub sigillo Academiae 24. Junij Anno 1627.







dia præmissos, nolite ergò pignoribus v
& huic beatulæ MARGARETÆ B
felicitem qua fruuntur invidere. Op
ris vestris cupitis. At melius ipsis velle
sunt, haut potestis. versantur enim ibi
visu, nec auris expletur auditu, ubi est
sana æternitas, secunda tranquillitas, tra
tas, jucunda felicitas, felix æternitas,
Cujus vitæ gaudium, nunquam decre
te pesceat: gemitus nullus audietur, nec
tur: triste nil videbitur, lætitia semper
per Dei gratiam acquiri potest, æstim
ergò vita super omnes vitas beatissima
fima! Revera enim beatitudinis cumu
minus adducet sanctos suos in visione
ubi amabimus sine modo, videbimus
hærebimus sine medio, nam ibi maneb
lia, parentes mœstissimi, cogitantes
ptem liberorum obitu conceptum mo

Nos vero cives Academici, postqu
mæ huic animulæ exuvias, parentes m
dormitorium suum inferri curabunt,
mores frequenti comitatu processio
ornemus, ac quod familiæ CLING
mœstissimis parentibus debemus,
Non exaggerabo nunc quòd animula
avus paternus, Clariss. Dn. D. BART
CLINGIUS, Jctus excellentissim
Megapolitanus & per annos quinqu
hujus Professor Juris celeberrimus &

imis
HÆ,
libe-
nunc
ulus
as,&
ndi-
itas.
mor
ntic-
quæ
st. ô
licif-
Do-
oria,
, co-
. Ta-
ex fe-

atissl-
diè in
i me-
m ex-
um &
emus.
unctæ
ÆUS
arius
emiaz
eritus
lucrit.

